



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Meditatio 1. Finis ipsius hominis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

## PRINCIPIUM, SEU FUNDAMENTUM,

## MEDITATIO I.

*Finis ipsius Hominis.*

**C**ONGRUA, De eo, qui parat se, ut cognoscat,  
quid Rex de eo constituerit.

**PRAE LUDIUM I.** Totam materiam, *Creatus est Homo, &c. usque ad, Salvus fiat, inclus.* Simul ob oculos nobis proponere.

**PRAE L. II.** Petere gratiam, ut veritatem illam benè intelligamus, & juxta illam vivamus.

**PUNCTUM I. MEMORIA**, *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet.*

**INTELLECTUS.** Cogitemus, quod laudare, sit celebrare Dei excellentiam, & quaqua possumus divulgare; quod sanè meretur, & quidem solus: tum ob infinitas suas perfectiones; tum ob creationem, cuius titulo est Dominus noster solus.

*Magnus Dominus, & laudabilis nimis, Psal. 47.* Ad nos REFLEXI, videamus, quam sèpè, neglegimus Dei laude, laudem nostram vanam quæsiverimus.

**VOLUNTAS.** Deploremus nostram in hoc discordiam, & ad Deum conversi dicamus; *Semper laus ejus in ore meo. Psal. 33.*

PUN-

12 PRINCIP IUM,

PUNCTUM II. MEMORIA. *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum ... reveratur.*

INTEL. Reverentia, & honor exhibetur alteri tamquam præsenti. *Soli Deo honor.* 1. Tim. 1. *Placentes Deo, cum metu, & reverentia.* Hebr. 12. Ad nos REFLEXI: Inquiramus, quoties peccaverimus contrà debitam Deo reverentiam.

VOL. Ambulemus coram Deo, tamquam præsente, & dicamus: *venite adoremus, & procedamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Ps. 94.

PUNCTUM III. MEM. *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Domino Deo suo, sit serviens.*

INTEL. Servire est ex voluntate Dei pendere, ejus mandatis obtemperare, illi soli servire. Deut. 6. Ad nos REFLEXI, inveniemus nos sæpè nobis, aliisque potius servivisse, Dei mandata transgredientes.

VOL. Doleamus, quod ità aberraverimus à fine nostro: & deinceps serviamus Deo in novitate Spiritus. Rom. 7.

PUNCTUM IV. MEM. *Creatus est Homo ad hunc finem, ut .... salvus fiat.*

INTEL. Perpendamus infelicitatem hominis, si hunc finem non assequatur. *Bonum erat ei, si natus non fuisset Homo ille.* Matth. 26. Ad nos REFLEXI, examinemus, an hactenus viam ad finem hunc salutis bene tenuerimus.

VOL.

VOL. Horrorem concipiamus à viâ perditio-  
nis, quæ deviat ab hoc fine. Recurramus ad De-  
um, dicentes : *fiat manus tua, ut salvet me.*  
Ps. 118.

COLLOQUIUM. Imploremus Deigratiam, ut  
veritas finis nostri numquam animo excidat : &  
ex illâ vitam instituamus.

## RECOLLECTIO.

## MEDITATIO II.

*Finis aliarum rerum.*

CONG. De eo, qui à Rege media accipiet, ad  
munus suum rectè obeundum.

PRÆL. I. Totam materiam, *Reliqua verò*  
*super terram. &c. usque ad, vel obsunt,* uno quasi  
obtutu obiter inspicere.

PRÆL. II. Petere gratiam pro recto usu re-  
rum creatarum.

PUNCTUM I. *Sanitas, & ægritudo.* MEM. Inter  
reliqua supra terram sita, proponamus nobis  
sanitatem, & ægritudinem.

INTEL. Concludamus ergò utendum illis, vel  
abstinendum eatenus esse, quatenus, ad prosecu-  
tionem finis, vel conferunt, vel obsunt. REFLEXIO.  
Examinemus, an timore ægritudinis, non omi-  
serimus tendere ad finem nostrum.

VOL. Obsit memus animum nostrum, ne um-  
quam